

Honorius III. Papa chlamydem circulatam mutavit in album,  
sub titulo b. Mariae Virginis de Carmelo confirmavit et appro-  
bavit. Dicunt autem Soldanum Aegypti ordinem istum, dum  
priori habitu uteretur, mirum in modum reverentia, devotione,  
et eleemosynis et beneficiis amplexatum esse ob memoriam  
Heliae prophetae, quem Sarraceni colunt: eo mutato e finibus  
atque omni regno ejecisse, unde necesse fuit monasteria in  
Europa fundari, sicque a monte Carmel rejecti ubique nunc in  
Christianitate sunt diffusi. Si habitum album non assumpsis-  
sent, usque hodie sine impedimento Saracenorum Carmeli montem  
incolerent. Nam apud Sarracenos albae vestes ita in pretio haben-  
tur, ut nemo christicola eis uti permittatur: et idcirco fratres  
Praedicatores, quia albis vestiuntur, ejecti fuerunt ab agro  
Acheldamach, quem emerant multo auro a Soldano, et hodie  
si fratres minores mantella alba susciperent, eos Sarraceni non  
sustinerent Ierosolymis. Sub eo monte est torrens Cison, in quo  
Elias propheta prophetas occidit Baal, ut dicitur 3. Reg. 18. Sub  
eo etiam sunt illae magnae civitates Tyrus, Sydon, Acon sive  
Phtolamaida, de quibus multa in scripturis habentur. Demum  
ab aquilone avertimus oculos, et contra orientem eis conjectis  
vidimus Judaeam cum montanis suis, et praesertim montem  
Modin, super quem erant sepulti Macchabaei, et super sepulchra  
eorum aedificavit Symon aedificium altum visu, lapide polito,  
retro et ante, et statuit septem pyramides eisque circumposuit  
columnas magnas et super columnas arma ad memoriam aeter-  
nam, et juxta arma naves sculptas, quae viderentur a navigantibus  
mare. 1 Machab. 13. Hunc montem et alia, quae noscere  
didici, ostendi Dominis meis de mari. Inter haec terrae  
sanctae appropinquavimus, et ad portum Joppen applicuimus  
ibique galēam domini Augustini cum suis peregrinis nondum  
eductis invenimus, de quo plurimum omnes laetati fuimus,  
quia si educti fuissent, nos neglecti fuissemus, ut patet supra  
fol. 69. die 28. Cum autem non longe a galēa Augustini  
essemus, injecimus mari bolidem, et invento fundo anchoras  
injecimus et navem stabilivimus extra scopulos Andromedae,  
qui portum illum muniunt. Non enim ausi fuimus proprius litori  
accedere, ne Sarracenos offendreremus, quorum salvum conductum  
non habuimus. Et ut notarent illi Sarraceni, qui in turribus

